

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae

Goclenius, Rudolph

Marpurgi Cattorum, 1601

Disputatio XVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

beati quoque expetunt, ut jucundissimum) seu vitæ societas & studiorum exercitiorumq; paritas communiõve.

23. Hinc malorum amicitia vitiosa & vitanda: Bonorum bona & expetenda. Per conversationem cum malis augetur communitio malarum rerum, & fluxarum, ut voluptatis: Et imitatio mala, qua alter alterius improba studia conatur sequi. Per conversationem vero bonorum conservatur communitio optimarum rerum maximeq; stabilium, ut virtutis, & imitatio honestorum studiorum, qua alter alterum in iis, quæ probat, exprimere conatur. Unde illud Poëtæ:

Virtutem ex justis discis verumq; laborem.

Improbis insicet reg; animumq; tuum.

Ac de amicitia, quæ ulus quidam virtutis est, quidem hætenus.

APPENDICULA.

*Diversum sentire duos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia.*

DISPUTATIO XVIII. DE VOLUPTATE.

SEQUITUR dissertatiuncula de voluptate, cujus I. essentia. II. adjuncta. III. differentia seu species inquiruntur.

2. Voluptas non est motio, sed actionum & fun-

& functionum nostrarum subsequens quædam & non impedita perfectio (accidentalis) iucunditate perfundens hominem.

3. Cessante igitur operatione cessat voluptas.

4. Adjunctum voluptatis est ab omnibus merito expeti & dolorem evitari, quia omnes vivendi cupiditate ducuntur. Item non esse perpetuam, intellige si actio intermittatur vel remittatur.

5. Voluptates differunt inter se ut *ἐνέργειαι*.

6. Voluptatum alie sunt *αἰσθητικαί*, alie *διανοητικαί*. Illæ corporeæ sensu percipiuntur externo. Hæ verò, quodammodo immateriales, mente.

7. Voluptatum alie sunt bonæ & honestæ, quæ bonas & laudabiles *ἐνεργείας* comitantur. Hæ per se voluptates appellantur. Alie malæ & turpes, quæ malas. Hæ respectu hominum depravatorum tantum dicuntur voluptates. Alie sunt intermediæ.

8. Ea quæ viro *αρεταίω* & bono videntur esse jucunda, verè jucunda sunt, & voluptates solidæ sunt. Quæ verò bono viro videntur molesta, alicui quidem jucunda videntur, at absolute & per se molesta sunt, & dicuntur: nec dici merentur jucunda per se.

9. Ad extremum. Alia est voluptas bestialis, ut lupina, canina, equina: alia humana.

10. Ex solæ voluptates sunt homini propriæ, quas approbat homo virtute præditus.
 11. Purissimæ sunt voluptates mentis seu *διανοητικῆς*: proximæ his. I. quæ visu percipiuntur. II. quæ auditu. III. quæ olfactu: Quæ gustu & tactu, impurissimæ.

DISPUTATIO XIX.
 DE BEATITVDINE.

RELIQUUM est ut disputatione de summo bonorum humanorum Beatitudine, & externis bonis, quæ velut instrumenta & adjuncta sunt beatè vivendi, has scholas concludamus: Illam beatitudinem internam: Hæc externam felicitatem appellare licet.

2. Beatitudo non est *ἔξω*, sed *ἐνέργεια* per se expetenda, non propter aliud, nec est sita in ludo & voluptate, sed in actione seria & usu virtutis. Est itaq; in hominis potestate sita.
 3. Beatitudo est vel perfectissima, quæ in vita theorica locum habet: vel minus perfecta: nempe *πολιτικὴ*: quæ est vitæ politicæ.
 4. Theorica consistit in usu maximè virtutis, quæ dicitur sapientia, id est, cognitio & contemplatio optimarum & divinissimarum rerum.
 5. Ac illam esse summam præstantissimam & perfectissimam probatur. I. Quia mens, cujus *ἐνέργεια* est *διανοητικὴ*, in homine est præstantissima, & non nihil habet divinitatis. II.

Etea,